



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefa-||tiones

Majoragio, Marcantonio

Monasterii VWestphal., 1599

VD16 ZV 10313

Magnifico, Reverendo, Consvl. Tissimo et Amplissimo Viro, pietate, virtute,
doctrina & autoritate excellentissimo, Dn. Michaeli VVirth, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68843)



MAGNIFICO,
REVERENDO, CONSVL-
TISSIMO ET AMPLISSIMO
Viro, pietate, virtute, doctrina &
authoritate excellen-
tissimo,

Dn. MICHAELI VVIRTH,

*Philosophia & I. V. D. inclyt. Lipsiensis
Academiae RECTORI, Canonico Martis-
burgensi, Cōsistorij apud Lipsienses Præsidi,
& Supremæ Curia Prouincialis Assessori,
nec nō facultatis Iuridicæ Professori pu-
blico, Collegij q̄ B. M. virginis Col-
legæ dignissimo;*

Domino & Meccænati suo, debito obser-
uantia cultu venerando.



*Væ Ioan. Petrum Ayrol-
dum Marcellinum, vt hoc
ce Maioragianum Opus
ancis typis excudi curaret,
impulerunt, Reip. literarię utilitas, &
fama Authoris: Magnif. Dn. Rector,
):(2 Meccæ-*

PRO O E M I V M.

Mecœnas debito obseruantia studio
venerande: ea, ad id recognoscendum,
hoc tempore me quoq; concitarunt.
Quia namq; præstanti Viro exploratè
perceptū & cognitum erat, nostrū Au-
torem tam sapientia, quàm dicendi fa-
cultate alios ætatis suæ Oratores non
tantū superasse, verūm etiā lōgo post
se interuallo reliquisse; nihil magis in
votis & optatis habuit, quàm vt hoc
scripto, immortalitate dignissimo, e-
ius memoriā redderet immortalem,
magna ad posteros vtilitate redundā-
te. Vtinā verò voti compos factus, nec
sua spes ipsum fuisset frustrata. Sed, vt
sunt humana, spes vana. Quāuis enim
literis nitidissimis & clarissimis, inq;
charta elegāti (quod è re legentis esse,
nemo ibit inficias) Opus impressum
ederetur; id tamen sua Calcographus
ineuria mendis vsq; eò referat, vt non
nisi cū tædio euolui queat; tantumq;
abest, vt ad commodum publicum fa-
mam Authoris illustrarit: vt etiā can-
dem cum Reipub. iactura non parum
obscurarit. Præter enim illa centū &
trigin-

PROOEMIVM.

triginta octo σφάλματα, Venetiano Codici annexa, Dijboni, quot & quanta inueni? quàm ineptè periodi, cola posita, quoties verbum falsò iteratum, syllabæ omiffæ, litera pro litera collocata? Quid multa? Erant iuncta disiungenda, discreta componenda; adeoq; vitijs sine nulla columna, ne dicam circuitus. Quamobrem vehementer indolui, elegantissima Virorum eruditorum scripta, quibus, ad magnam aliorũ vtilitatem, viuentes ad gloriæ laudisq; arcem eniti, fatoq; functi, nominis sui memoriam æternis monumentis cōsecrare voluerunt, adeò per librarium cōstituto negligente indolentis επανορθωτῶν, deprauarier, vt magno fastidio, cura, studio, vix ac ne vix quidem perlegi, intelligi, restitui atq; corrigi possint. Et meritò. Quorsum enim opus est, tot sumtib. curis, vigilis, laborib. nec sine maximo interdũ valetudinis incommodo, libros conscribere; si vtilitate, ad quam vnã, tanquam scopum, Author collimare voluit, hoc pacto priuentur? Ac nō id

):(3 tan-

PRO O E M I V M.

tantum inde nascitur detrimento: sed mens Authoris etiam peruertitur: atque extremum ita variatur corpus, ut ne quidem suum agnoscat, Etenim germanam orationis intelligentiam ex vera membrorum distinctione pendere, nemo non intelligit, Deme eam ex oratione: an non erit id, quod trito sermone fertur puerbio, Ver ex anno, aut Solem e mundo tollere, mareque caelo miscere? Nam unde in optimis Authoribus tam variae lectiones, tot notae, tot scripta critica, tot Aristarchorum de vera sententia concertationum plenae disputationes, tot monumentorum & codicum manuscriptorum allegationes? Nonne penes omnia ex operis deprauatis? Quod si enim fieri potest, ut unica distinctiuncula, omissa, vel transposita, diuersam pariat sententiam: quidni orationis membris in toto corpore non rite iunctis, verbis praeteritis, modo seuue impressis, Authoris sensus immutetur, obscuretur, nonnunquam amittatur? Quod sane cum in Venetiano Maioragij Codice largiter factitatum cognosce.

PROOEMIUM.

gnoscerem, summamque exemplarium penuriam esse audirem, communis causa comodi, hoc illud recognoscendi onus in me recepi: ut Authoris laudem, iam propè senescentem, ab oblivione hominum atque à silentio vindicarem. Existimabam etenim, dicendi elegantiam studiosis adolescentibus rem per gratam factum iri, si vitijs, quæ non tantum legendi ardorem cuiuspiam extinguere, sed Authorem etiam ipsum è manibus excutere valerent, exemptis, integritati suæ Opus restitueretur. Id quod ea, qua fieri potuit, diligentia, quamvis laboriosius, præstiti. Et non hoc solum egi, ut forma quidem minore, ac diligentia maiori liber ederetur: verum φιλέλλησι gratificaturus, Græcorum verborum & sententiarum Interpretationem prætermittam adiunxi: & Loca allegata, in margine assignari curavi: ne qua fortè remora ijs, qui ipsos fontes adire mallent, obiecta censeretur. Atque utinam omnia cõquire, re, temporis tulisset ratio. Me certè nõ eius tantum laboris, sed & maioris

):(4 non

PROOEMIUM.

non poeniteret. Neq; enim vllus tam magn⁹ erit labor, quin proluentutis vtilitate suscept⁹, mihi sit iucūdu^s futurus. Quippe semper illud Platoniciū animo obseruatur meo: Non solū nobis nati sumus; sed ort⁹ nostri partem Patria sibi vendicat, partem Parentes, partem Amici. Amica verò pietatis & bonarum artium studijs dedita Iuuentus. Quæ dubio procul, hoc legendo scripto, pleniorē efficiet orationem Latinam, & eloquentiæ vim sibi comparabit. Est namq; Maioragij stylus ad illud absolutissimū Ciceronianæ eloquentiæ exemplar omni diligentia cōformatus. Vt interim nihil dicam, quanta sit in eo recondita sapientia, quàm variarū disciplinarū eruditio, quàm graues sententiæ: ad capeffendam Virtutem, & Literarū studia amplectenda mirabiles inluenū animis ignes elicientes: quibus artes, homine liberali minū dignæ, omniaq; vitia, tanquam fumi, vanescere videantur.

Verū enim uero quia nihil est, quod nō incessere maledicēdi libido

au.

PRO O E M I V M.

audeat; nullumq; Opus vnquam extitit, quod non Hipponacte præconio fuerit addictum; incertus animo ferebar, sub cui⁹ patrocinio hunc librum in lucem emitterem; vt, si non euitari, saltem retorqueri dictorū aculei possent. Ibi tum, Magnif. Dn. Rector, reuerende, amplissime & cōsultissime Vir, Patrone summè colende, Tuæ Magnificentiae digna visa est authoritas & tutela, cuius præsidio excuderetur & diuulgaretur. Tum quòd iam ad eius Reipub. summâ cū laude gubernacula sedeat, cuius meritorum in me nullam partem nō modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possū. Quæ enim vestra, Præceptores & Mecœnates (Dominos salutem vos an Patres, ambigo) beneuolentia, qua publicè & priuatim sex annos in me fuistis vsi? Vestræ venerandæ atq; amabiles Musæ me venientem excepere, exceptum erudiere, eruditū ornaere. Vt meritò ingratissimus esse videar, si hanc tã incredibilem erga me humanitatem, tam singularem voluntatem,

);(5 tem,

P R O O E M I V M.

tem, tã propensum animũ non vbiq;
prædicẽ, non laudib. ad cœlum feram,
nõ pie ac inuiolatè recorder. Iure igitur
M. Rectori Academiae, quã studiorum
parentem & altricem habui, hoc
Opus arbitror dicari posse. Tũ quòd
eiusdem Magnif^e sapientia meã igno-
rãtiam, aduersariorũ liuore, tãquam
turbine quodã, prostratã erigere vale-
at. Tum quòd eo Musas amore prose-
quatur, vt neutiquã psuaderi mihi pa-
tiar, Eidem vllã operam, prouehendis
artiũ studijs cõsumtam, displicere. Tũ
deniq; summa est Eius beneuolentia,
quam mihi ad ignoscendũ paratam,
nullus dubito: ad inuidorum maleuo-
lentia resistendum promptã & alacrem
videre videor. His fretus, Deo homi-
nibusq; approbantib. cum hoc Opere
ad T. Magnificentiam, Rector Acade-
mice, venio: nihil mehercule calũnia-
rũ turbines, aut maledictorũ procel-
las pertimescens: nõ laudem, non glo-
riam, nõ premium aucupans; sed sapi-
entiam, patrociniũ, veniam expetens.
Cũ enim nemo sit mortaliũ, qui nõ
inter.

PRO O E M I V M.

interdū labatur; nā ego mediusfidius
insanus, si quid ab hac mea iuuentute
alienum putarem. Suo igitur Tua Ma-
gnif. meum formabit iudiciū, forma-
tū instruet, instructū cōfirmabit, rude
politissimo, acerrimo imperitū, cer-
tissimo incertū. Sux Auctoritatis scu-
to liuoris aculeos excipiet, retorque-
bit, infringet. Aequi boni oblatū, peto
& obrestor, cōsulat munusculū, suoq;
fauore, plus quā humano, me com-
plectatur. Is enim mihi, in Musarū ca-
stris militanti, nō mediocre calcar ad-
det. Is olim, Deo annuente, meorum
studiorū fructus iure suo repetet vbe-
riores. Is deniq; Tuæ M. me totū per-
petuo obsequij vinculo, & animi gra-
ti memoria obstrictū reddet ac deuin-
ctum. Quod restat, Christi Opt. Max.
præsidio I uā M. committo & cōmen-
do. Lipsiæ die S. Ambrosij; Anno
παρθενότητος CIJ. ΙJ. XCIII.

Tuam Magnif.

omni obseruant. studio colens.

*M. Daniel Caesar Ositiensis, Col-
lega docentium in Schola Se-
natoria ad D. Nicolaum.*